



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

V. Vtrum quælibet mutatio, additio, & diminutio in materia, & forma
sacramenti, ipsum reddat inualidum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

déque opere verè spirituali, ac supernaturali; atque dirigere legibus suis voluntates subditorum circa obiectum, & opus realiter spirituale, ac supernaturale; idque non mediàtè tantum, ac remote aut indirectè, sed immediatè, & proximè, atque directè, quoad realitatem pertinet. Quod est maximè notandum pro clarissima ratione discriminis ad paritates aliquas apparentes in contrarium.

Art. 3. Cum igitur tota potestas, & iurisdicção Principum temporalium sit purè naturalis minimeque eleuata, aut supernaturaliter stabilita à Deo, sicut eleuata, & stabilita est auctoritas, ac potestas humana Ecclesiæ; patet nihil illos, aut licitè, aut validè statuere posse circa valorem, aut validitatem contractus matrimonialis inter fideles. Nulla itaque consequentia est à potestate Ecclesiæ ad eorum Principum potestatem in hac re; nec responsio præcedentis obiectionis potest obiectioni præsentì absolute accommodari, sed conditionatè tantum facta suppositione falsà. Nec propterea Principes sæculares Christianorum ullam iacturam auctoritatis, ac iurisdictionis passi sunt per directam eius restrictionem, sed per subtractionem materiæ; circa panem, & vinum post eorum consecrationem. Numquam enim habuerunt iurisdictionem circa contractus matrimoniales, nisi purè naturales, quales iam nulli iniri validè possunt inter fideles. Euauerunt enim per institutionem sacramenti matrimonij; sicut substantia panis, & vini euanescit per consecrationem eorum, nec deinceps subest ulli sæculari legi circa pretia rerum, aliæque familia.

Ad 4. Siquidem olim, & nunc etiam apud Græcos diuersa fuit, & est materia pro sacramento ordinis ab ea, quam adhibet Ecclesia Latina, dicendum est consequenter Christum Dominum neutram determinatè exegisse; sed vtramlibet indeterminatè; sicut dictum est in secunda parte responsionis ad quæstionem de materiis, & formis aliorum etiam sacramentorum, quoad aliqua illis essentialia. Deinde probabile admodum est, quod pluribus suadet Arcudius lib. 6. Concordiæ cap. 7. eandem solam manuum impositionem, quæ est materia ordinationis apud Græcos, fuitque procudubio ante conscripta Evangelia, etiam apud Latinos quoad substantiam retineri, tanquam materiam essentialiter constitutiuam eiusdem sacramenti, atque cætera requiri ex præcepto non ad validam, sed tantum ad licitam ordinationem, de quo vberius in loco, est enim res longioris expensionis.

QVÆSTIO V.

Virum qualibet mutatio, additio, & diminutio in materia, & forma Sacramenti ipsum reddat inualidum?

Videtur reddere. 1. Quia nulla mutatio potest esse minor, quam vnus litteræ; contingit autem sola vnus litteræ mutatione induci nullitatem sacramenti; Si enim in forma baptismi loco Patris ponatur Matris; & in absolutione sacramentali pro te dicatur, me; non fiet sacramentum; & tamen vtrouque fit mutatio vnus tantum litteræ.

2. Quælibet mutatio materiæ, vel formæ secundum se est maior, quam mutatio ipsarum secundum accidens. Fieri autem potest, vt ex sola mutatione secundum accidens, sacramentum reddatur nullum. Quia aqua naturalis liquida solum differt secundum accidens à congelata; & tamen baptis-

mus est nullus; si adhibeatur congelata; validus, si liquida.

3. Qui promittit sub conditione, est liber à promissione, si conditio partim ponatur, partim non ponitur, etiam si minima sit pars, quæ non ponitur. Deus autem promittit gratiæ sacramentalem sub conditione quod ponatur talis forma, & talis materia. Ergo si alterutra ex illis partim ponatur, partim non ponatur, tamen si pars non posita sit minima; Deus erit liber à promissione, nec effectus gratiæ subsequi poterit ex vi promissionis eius. Quod est sacramentum esse nullum. Ergo quælibet diminutio inducit nullitatem.

4. Minister sacramenti inducens errorem, aut hæresim per mutationem materiæ, vel formæ, eo ipso sacramentum reddit nullum vt patet ex responsione Zachariæ Papæ, capite *regulæ* de consecratione 4. distinct. Quicumque autem addit quidquam, vel detrahit, vel vtrunque mutat ex parte materiæ, vel formæ à Christo præscriptæ, eo ipso, quantum est ex se, introducit errorem, vel hæresim. Quia insinuat partem detractam non pertinere ad rationem sacramenti; pertinere verò additam, vel commutatam; & vtrunque est error, aut hæresis.

Art. 1. Respondetur. Tria sunt in quibus merito Theologi conueniunt. Primum; Mutatio materiæ, vel formæ per additionem, diminutionem, vel commutationem si sit substantialis, sacramentum reddit inualidum; non verò si accidentalis sit. Secundum; tunc mutatio est substantialis, cum detrahatur aliquid eorum, quæ Christus Dominus exigit determinatè pro perfectione sacramenti; seu quibus determinatè deuinxit significationem, & causalitatem gratiæ. Tunc verò mutatio est accidentalis, cum versatur circa ea, quæ tantum requiruntur ex præcepto. Tertium; ea Christus exigit determinatè, iisque determinatè deuinxit significationem, & causalitatem gratiæ, quæ absolute continentur sub significatione communi, & propria verborum, quibus Scriptura, Concilia, & Patres, iuxta traditionem Ecclesiæ, exponunt materias, & formas sacramentorum.

Art. 2. Ratio horum est, quia sacramenta habent vim supernaturalem significandi, & cauendi ex voluntate Christi illa instituentis; ad eum modum, quo voces habent vim naturalem significandi, & excitandi species talium, vel talium obiectorum, ex voluntate illas naturaliter eum in finem instituentis. Sicut ergo naturalis significatio vocum, & excitatio specierum deficit deficientibus, aut permixtis syllabis, quibus, & quarum tali ordini ac separationi ab aliis præcisè ac determinatè, deuincta illa fuit ex humana naturali voluntate, illas sic vel aliter instituyente; ita etiam necesse est, vt supernaturalis significatio, & causalitas gratiæ deficiat deficientibus iis rebus, & verbis, iisque vtrorūque partibus, & partium muto inter se ordine, coniunctione, separatione ab aliis atque dispositione accidentali, quibus præcisè, ac determinatè eadem significatio, & causalitas deuinctæ sunt ex voluntate Dei instituentis sacramenta. Quia verò de hac voluntate nobis non constat, nisi per verba, quibus Scriptura, Concilia, & traditiones Ecclesiæ eandem voluntatem, eiusque obiecta manifestant; propterea iis omnibus, & solis deficientibus, quæ sub talibus verbis absolute comprehenduntur secundum propriam eorum significationem, deficit significatio, & causalitas sacramentalis, ipsumque sacramentum redditur nullum.

Art. 3. Constat porro non qualibet additione, aut detractione, aut permutatione facta in materia, & forma sacramenti, eo ipso res, & verba, quibus ambæ constant, extrahi ex significato verborum, quibus per scripturam, Concilia, & traditiones manifestantur. Sicut enim Titius comprehenditur sub significatio-

tionem absoluta propria huius vocis, homo, tametsi abscindatur ipsi quintus digitus, aut innascatur sextus, aut aliqua pars corporis sit dislocata; ita etiam in sacramento baptismi, verbi gratia, siue dicatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; siue Patris, Filij, Spiritus Sancti; siue Filij, & Patris, & Spiritus Sancti; siue Patris ingeniti, & Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti; retinetur semper valor sacramenti, quia semper retinetur absolute eadem expressio Trinitatis.

Art. 4. Breuior alia, & clarior regula æquivalens doctrinæ præcedenti hæc est; vt sola illa, & qualibet additione, deductione, transpositione, seu alteratione sacramentum reddatur nullum, per quam auferatur, vel ex verbis naturalis significatio, quatenus affinis, & assimilis significationi sacramentali; vel ex rebus analogia cum effectu sacramenti, vel symbolica eiusdem representatio. Cum enim talia determinatè verba, & res potius, quam alia, & alia electa fuerint pro vnoquoque sacramento à Christo Domino propter eiusmodi affinitatem, & analogiam, vt dicitur quæst. i. dum ea non corrumpuntur, sed retinentur, quantum sat est pro communi hominum capto, & directione ad concipiendum effectum sacramenti; adimpletur intentio Christi, & consequenter subsistit valor sacramenti, qualiscunque demum accadat de reliquo immutatio, mutilatio, additio, transpositio, aut substitutio. Neque igitur omnis, neque nulla variatio materiæ, & formæ, quæ pro vnoquoque sacramento præscribuntur, nullitatem eius inducit, sed qualis explicata est. Exempla doctrinæ prosequuntur fusè in præsentis Cardinalis de Lugo, & Tannerus, & à nobis producantur opportune circa singula sacramenta in particulari.

Ad 1. Contingit mutationem vocis, quæ est exigua entitatiuè, esse permagnam formaliter in ratione signi; idque potissimum habet locum in syllabis initialibus, vt aduertit D. Thomas; per quas videlicet dirigitur, ac determinatur intellectus magis, quam per finales. Quare in duplici illo exemplo inducitur nullitas sacramenti, non propter quantitatem, sed propter qualitatem mutationis variantis; scilicet significationem naturalem congruentem significationi sacramentali, ac supernaturali: Vnde potest esse mutatio alia, aut permutatio longè maior entitatiuè præsertim in vltimis litteris vocis multisyllabæ; quæ tamen nihil noceat valori sacramenti propter contrariam significationis retentionem.

Ad 2. Esto congelatio, & liquiditas sint accidentia respectu aquæ secundum se physicè considerata; pertinent tamen ad essentiam eiusdem, quatenus est symbolum formæ supernaturalis mundantis animam à peccatis & quatenus subiicitur verbis constituenti-formam baptismi, & significantibus ablutionem, ac emundationem. Hanc enim rationem symboli, & subiicitilitatis constituit essentialiter liquiditas, & destruit congelatio; siquidem hac perseverante, aqua est inepta ad lauandum. Huiusmodi autem mutationem pertinentem formaliter ad rationem sacramenti non inducit qualibet mutatio physicè substantialis, aut accidentalis physicè maior, ideoque nec nullitatem inducit sacramenti.

Ad 3. Qui promittit sub conditione, quæ non consistit in indiuisibili, non liberatur à promissione, tametsi pars eius aliqua non ponatur dummodo ad substantiam conditionis, quatenus intentæ à promissore, illa non pertineat, sed eius essentia supersit nihilominus absolute. Apparet autem aliquas eiusmodi partes reperiri in materiis, & formis sacramentorum.

Ad 4. Consultus eo in loco Pontifex; an valeret baptismus collatus sub hac forma: in nomine Patriæ

& Filia, & Spiritu Sancta? responderet valere si minister ea vsus fuit ob ignorantiam Romanæ loquutionis, non introducens errorem, aut hæresim. Quia ipsa responsione clare demonstratur, aliquam mutationem formæ esse compossibilem cum valore sacramenti, & separabilem ab intentione introducendi errorem, aut hæresim annullatiua sacramenti. Quare introductio erroris, aut hæresis ibi intelligitur, non qualiscunque valde remota, & purè materialis, sed propria ministri, quatenus talis; scilicet nolentis significare, & facere, & volentis alios suo exemplo inducere, vt non significant, ac faciant, quod significat, & facit Ecclesia. Quæ voluntas inducit procudubio nullitatem sacramenti, vt dicitur q. 13. & notatur in glossa marginali illius capituli *retulerunt*.

Q V Æ S T I O VI.

Virum voluntas instituentis, & intentio, ac exequutio perficientis Sacramentum, intrinsecè ipsum constituunt?

Videtur non constituere. 1. Quia nullus effectus intrinsecè constituitur per intentionem ipsum faciendi, aut per actionem qua fit, aut per voluntatem, qua datur possibilitas, vt fiat; nulla siquidem intentio potest velle efficere se ipsam; nulla actio se ipsam efficere; nulla voluntas dare possibilitatem, vt ipsa fiat. Intentio autem requisita in ministro est intentio efficiendi sacramentum; actio ab eodem exercita illud efficit; & voluntas instituentis dat possibilitatem, vt fiat. Ergo ea intentio, aut actio, aut voluntas non possunt intrinsecè constituere sacramentum.

2. Contingit intentionem perficiendi sacramentum esse peccaminosam, quia perficitur malo fine, vel in circumstantiis, in quibus non licet illud perficere, vt cum celebratur sacrum ab existente in peccato lethali. Sacramentum autem nequit intrinsecè constitui per peccatum; quia est opus Dei, est supernaturale, & causatiuum gratiæ, est honestè desiderabile à suscipiente, & pro quo gratias agere Deo debeat; quorum nihil cadere potest in peccatum, nec in aliquid includens peccatum, tanquam partem intrinsecè constitutiui sui. Accedit Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 10. dicens: *Non est aqua profana, & adultera super quam nomen Dei innocatur etiam si a profanis adulteris innocetur*. Et iterum: *Baptismus Christi verbis euangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamuis illi sint impudici, & immundi, quia ipsa eius sanctitas pollui non potest*. Pollueretur autem si peccatum in eius essentia includeretur. Ergo saltem intentio ministri non constituit intrinsecè sacramentum.

3. Collectio effectuum creatorum, per quos innotescit, redditurque credibilis per fidem voluntas Dei instituens sacramenta; connectitur essentialiter cum eadem voluntate, quandoquidem fides, de existentia huius voluntatis, suborta, ex consideratione talium effectuum, est essentialiter infallibilis. Ergo talis voluntas non requiritur ratione sui immediatè ad existentiam sacramenti, sed mediatè ratione talium effectuum essentialiter illam præsupponentium. Quod autem requiritur ad alterum tantum mediatè, & ratione alterius, non pertinet ad intrinsecam eius constitutionem immediatè per se ipsum. Ergo voluntas Dei instituens sacramenta, non constituit ea intrinsecè.

4. Actio exterior, qua perficitur sacramentum, est essentia